

# SCRIPTA

**Numéro Scripta :** 5047

**Auteur(s) :** Eugène III [pape]

**Bénéficiaire(s) :** Vivien, Aunay-sur-Odon, Notre-Dame d'Aunay (abbaye, abbé)

**Genre d'acte :** bulle

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1152, 5 novembre

**Lieu d'émission :** Albano

**Action juridique :** confirmation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Le pape Eugène [III] prend l'abbaye d'Aunay sous sa protection et confirme les biens et droits de l'abbaye.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

- a. Le Hardy Gaston, *Étude sur la baronnie et l'abbaye d'Aunay-sur-Odon*, Caen, H. Delesques, 1897, Pièces, n° 3, p. 255-258.
- b. Ramackers Johannes, *Papsturkunden in Frankreich*, Neue Folge 2 Normandie, Göttingen, Vandenhoeck & Ruprecht (Abhandlungen der Gesellschaft der Wissenschaften zu Göttingen. Philologisch-historische Klasse, 21), 1937, 2 vol., n° 62, p. 138-140.

Texte établi d'après b

EVGENIVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI. DILECTIS FILIIS VIVIANO ABBATI DE ALNETO EIVSQVE FRATRIBVS TAM PRESENTIBVS QVAM FVTVRIS REGVLAREM VITAM PROFESSIS IN PERPETVVM. Quotiens illud a nobis petitur, quod religioni et honestati conuenire dinoscitur, animo nos decet libenti concedere et petentium desideriis congruum impertiri consensum. Eapropter, dilecti in domino filii, uestris iustis postulationibus benignum impertinentes assensum prefatam ecclesiam, in qua diuino mancipati estis obsequio, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et presentis scripti priuilegio communimus. Statuentes, ut quascunque possessions, quæcunque bona eadem æcclesia in presentiarum iuste et canonice possidet aut in futurum concessionem pontificum, largitione regum uel principum, oblatione fidelium seu alii iustis modis Deo propitio poterit adipisci, firma uobis uestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus uocabulis annotanda : ex dono Iordani de Saeio partem forestæ, sicut proxima uia transcendit montem de Lenche, cum tota terra, sicut torrens descendit in Odonis fluum, et totam terram, quam tenuit Sanson frater Luciae a Radulfo de Burone, ex dono Gileberti filii eiusdem Iordani totam terram, quam habuit in Venniis, quam tenuit Gaufridus de Marinneio, ex dono Luciae matris eius centum acras terræ suæ de Alneio et pratum unum iuxta molendinum uestrum, ex dono Ricardi de sancto Remigio pratum unum, qui etiam ratas habuit donationes suorum hominum, qui dederunt uobis duodecim acras terre liberas et quietas confirmante hoc nobilis memorie Gaufrido Andegauensium comite, concessit etiam uobis idem Ricardus clusam molendini uestri et apud sanctum Symeonem de Supramare triginta acras terræ de propria hereditate sua concedentibus et confirmantibus uxore sua et Gundeuino filio eius, ex dono Roberti de sancto Remigio et fratrum eius quandam locum iuxta Tormeium, qui uocatur sanctus Nicholaus, pratum unum et duas carrucatas terræ, ex dono Wilhelmi de Sola unum locum, qui uocatur Bonfosse, et septuaginta duas acras terræ, ex dono Roberti Britonis de Maisuncellis totam terram,

quam habuit in uillula supra montem Enke, ex dono Engeranni de Port uiginti acras terræ ad Vndefontem et communia pascua pecoribus uestris, quas nimirum donationes ratas habuit Iordanus Tayson heres ipsius, ex dono Radulfi de Chahineiis uiginti acras terræ apud Chahin(eos), ex dono Willelmi filii Orengiae terram, quam habuit in Lauda, et ex dono Aluredi filii Symonis et uxoris eius quinque acras terræ in loco, qui dicitur sanctus Nicholaus, preterea in parrochia sancti Georgii ex dono Roberti de Matonio decem acras terræ et communia pascua eiusdem parrochiæ pecoribus uestris. Sane laborum uestrorum, quos propriis manibus aut sumptibus colitis, siue de nutrimentis uestrorum animalium nullus a uobis decimas presumat exigere. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat prefatam ecclesiam temere perturbare aut eius possessiones auferre uel ablatas retinere, minuere seu aliquibus uexationibus fatigare, sed illibata omnia et integra conseruentur eorum, pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisue persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere uenire temptauerit, secundo tertioue commonita, nisi presumptionem suam congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat reamque se iuditio diuino existere de perpetrata iniuitate cognoscat et a sacratissimo corpore ac sanguine Dei et domini redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat atque in extremo examine districtæ ultiōni subiaceat. Cunctis autem eidem loco sua iura seruantibus sit pax domini nostri Iesu Christi, quatenus et hic fructum actionis bonæ percipient et apud districtum iudicem premia æternae pacis inueniant. AMEN. AMEN. AMEN.

R. Ego Evgenius catholicæ ecclesiæ episcopus ss. BV.

† Ego Ymarus Tusculanus episcopus ss.

† Ego Aribertus presb. card. tit. sanctæ Anastasie ss.

† Ego Wido presb. card. tit. Pastoris ss.

† Ego Bernardus presb. card. tit. sancti Clementis ss.

† Ego Iohannes Paparo presb. card. tit. sancti Laurentii in Damaso ss.

† Ego Henricus presb. card. tit. sanctorum Nerei et Achillei ss.

† Ego Oto diac. card. sancti Georgii ad uelum aureum ss.

† Ego Gregorius diac. card. sancti Angeli ss.

† Ego Iohannes diac. card. sanctorum Sergii et Bachi ss.

† Ego Ildebrandus sanctæ Romane ecclesiæ diac. card. ss.

† Ego Gerardus sancte Romane ecclesie diac. card. ss.

Dat. Albe per manum BOSONIS sanctæ Romanæ ecclesiæ scriptoris non. nouembr., indictione XV, incarnationis dominicæ anno M°.C°.L°.II°, pontificatus uero domni EVGENII PAPE III anno octauo.